

1774.

1. Alix, Mathaeus Franciscus : De quaestione
medico legalis ex chirurgia declaranda .
2. Henne, Pet. Christph., Decanus ordinis Fratrum . . .
solemnis inauguratio Dr. Pet. Christ. Franchi: Ignat -
schell . . . inde simulque nonnulla, &c patre,
sumbus et laborum collatione subjiciunt, praenotata
3. Henne, Pet. Christph., Decanus ordinis Fratrum . . .
solemnis inauguratio Frans Vanni Brinck
. . . inde simulque nonnulla, de mortuis & colle -
giis et corporibus contracto, praenotata .
4. Henne, Pet. Christph.: In creditore orto concursu
conductio nem debitoris, qui bonis cessit, continuare
lenocinas .
5. Turin, Vannus Ignat: Deficta possessio .

1775.

1. Hemmannus, Augustinus Insector Romanus: In pauca
capitales in atlantico parte qualificato locum habet.
2. Schorck, Hieronym. Iuris Doctor, Facult. iuridice
Decanus . . . solemnia inauguralia . . . Augustinus
Insector Rom. Hemmannus . . . indicat simulque
an hodie sola litis contentatis malam fidem tempor
inducat? promittit?
3. Turin, Adam Ignatius, Facult. iuridice Decanus: lectione
benevolo s. jo. v. (ad dissertationem inay. Christi
phri Groningeri iurist.)
4. Turin, Adams Ignatius: De aestimatione quanta
pluviorum.

1776.

1. Daerius, Fredericus Tutorius: De quadriglice legis
virtute.
2. Henne, Rudolph Christoph: De rapta sponsae



3. Henne, Pet. Christphl, Decanus or. Dni; festum
... solemnia inauguralia ... Friderici Guel-
pis Engelhardt ... in dicti simulacrum nonnulla, de
sacerdotalis divisione antiquis vicem sustinente
praemittit.

1779.

1. Henne, Pet. Christphl, Decanus or. Dni; festum
... solemnia inauguralia S. Augustini
Zigler ... in dicti simulacrum nonnulla de venia
poenarum in dicta statutorum praemittit.

2. Henne, Pet. Christphl: De testamento publico per
repetitionem ab actis vel scrinis principis rupto.

3. Henne, Pet. Christphl: De modo finiendo actatis curam,
per impetratam versionem.

4. Schorch, Hieronymus Fridericus, Fac. iuridice Decanus:
... solemnia inauguralia ... Dr. Samuel Gottofr.

Baumeisteri indicet.

5 Schorch, Christian Frider. Immanuel: Num vasallus
de feudo in Lusatia saperetur per ultimam
veluntatem, disponens praecise proximitatem
gradus observare teneatur?

1778.

1. Henne, Paul. Christ., Decanus orationis et orationis
... solemnia inauguralia ... Coruli Dienemani
ni ... indicet simulque nonnulla de constituta
ambionis via ab horis suspensivas et resolutivas
praemittit.

2. Henne, Paul. Christ. De exceptione ad jus lericie,
pertinente plane inutili.

1779.

3. Dietrich, Carl. Frd., Dec. Ord. Tch ... solemnia inaug.
D. Frat. Philippi Hanck ... indicet simulque nonnulla de
systemate ecclesiae cath. et protestantium praemittit

1779

1. Franch, Fridericus Philippus: *Synopsis iuri ecclesiastici publici et privati*
2. Henne, Rud. Christph. . . . *solemnia inauguralia*
. . . Dr. Raphael Christoph Baros . . . *indit
dimicque nonnulla de inventario praecessorum
poenitentia.*
3. Henne, Rud. Chr. W. . . . *solemnia inauguralia*
. . . Dr. Raphael. Christoph Baros . . . *indit
dimicque nonnulla*
4. Henne, Rudolph Christoph: *De jure mariti a causa
alienationem fatis*
5. Henne, Rudolph Christoph: *De regimine perfecti
derum hereditariarum inventarii praecipuis
effectibus.*

1780.

Voring, Fredericus Ludovicus : Thesaurus beneficiorum
multe tribus iurectar post mortem ejus debita
suscipiens? 46

1781.

1. Reinhard, Adam Fr. Christian : De farribus regnatis
2. Schorch, Hieron. Frideric... solemnia inauguralia
--- Dr. Christian Gottlieb Wehrn --- indicit
diuinae quædam & fædri marchionum Bran-
denburg. Langen burggravis van Nürnberg. 47
Austria, occasione pacis nonostinal Teothauris
3. Schorch, Hieron. Frideric... solemnia inaugu-
ralia ... Dr. Adam Frider. Christ. Reinhard ...
indicit, diuinae quæstiones : de tempore, quo apud
Romanos instantur expositio non que lenta



esse possit, ex taciti oris morib. ^Yonmacoramus
Cap. XIX. illustrat.

4.^a Wehrn, Chrys. Gall.: Programma, quo jus
pensionis non juris in re numeris habendum
esse opinant.

4.^b Wehrn, Chrys. Gall.: Notatione Pa-
liana.

15
1774,5
5

DISSERTATIO IURIDICA IN AVGVRALIS
DE
FICTO POSSESSORE

QVAM
ILLVSTRIS IURECONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE

IN PERANTIQA ELECTORALI UNIVERSITATE ERFORDIENSIS

P R A E S I D E

Dn. ADAMO IGNAT. TVRIN, i&o,
FACULTATIS IURIDICAE ADSESSORE, IURIS NATVRALIS, GENTIVM
ET PUBLICI, NEC NON HISTORIARVM ET PHILOSOPHIAE PRACTICAE
PROFESSORE PVBL. ORD. BIBLIOTHECAE BOINEBURGICAE
DIRECTORE, UNIVERSITATIS H. T. RECTORE,

H. L. Q. S.

DIE XVII. MAI. MDCCCLXXIV.

PRO GRADU DOCTORIS

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SUBIICIT

AVCTOR

IOHANNES ADAMVS BIRNICH

EVDISSA-LVSATVS.

ERFORDIAE
LITERIS HENRICI RUDOLPHI NONNII, ACAD. TYP.



LUDWIG VON MÜNCHEN

ALCIO POSSESSORE

LIBERUS ET LIBERTATIS AVOCATUS

ET LIBERTATIS AVOCATUS

1515

ALCIO POSSESSORE

LIBERUS ET LIBERTATIS AVOCATUS

ET LIBERTATIS AVOCATUS

1515

LIBERUS ET LIBERTATIS AVOCATUS

1515

ALCIO

JOHANNES ADAMAS BIRNICH

1515

ALCIO

1515

VIRIS ILLVSTRBVS, EXCELLENTISSIMIS,
AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS

Dn. CHRISTIANO FRIDERICO
IACOBO IANVS,

SERENISSIMI SAXONIAE PRINCIPIS ELECTORIS CURIAE SUPREMAE IN
LVSATIA SUPERIORE CANCELLARIO,

ET

Dn. N. LESSING,

SERENISSIMI EIVSDEM PRINCIPIS ELECTORIS IN HOYERSWERDA

PRAEFECTO,

BONARVM ARTIVM OMNIVM PROMOTORIBVS,

FAVTORIBVS AC PATRONIS SVIS INDVLGENTISSIMIS,

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

CVM PLENISSIMAE AC DIVITISSIMAE FELICITATIS VOTO

SACRAQE FORMVL

D. R. D.

TANTORVM NOMINVM


DAN. LESSING

GULTOR ET CLIENS ADDICTISSIMVS

JOHANNES ADAMVS BIRNICH

EDIESSA-LVSATIVS.





E quidem diversa inter se magis in Jure nostro vix noscuntur, quam possessio & dominium, ipsa nimirum re, hoc est, Natura utriusque & indole spe-
catis. Illa quippe in genere accepta facultatem de re dispo-
nendi physicam, hoc moralem denotat. Ut itaque nihil cate-
nus commune habeat proprietas cum possessione, Doctore ipso

A

VLPIA-

VLPIANO a). Verum tamen non usque eo inter se pugnant, ut ne cognatos valde respectus multifariam admittant, quos omnes plena causarum, effectuum & modorum comparatione heic representare non fert instituti ratio. Non transmittendus autem communies inter utriusque modos jam unus ille est, quem subtillior iurisprudentiae nostrae methodus probavit, fictio nimurum iuris, quo possessor is esse fingitur, qui non est; sicut & dominum, qui talis haud est, eadem certis in casibus fingunt iura. Et dominii quidem filii due potissimum species substernuntur actionibus *Publiciana* & *Pauliana*. b) *Possessionis fictae* exempla itidem duo prostant. Alterum in eo, qui, cum non possideat, litetamen, possessoris instar, dolo se obtulit. Alterum quoad illum, qui dolo malo possidere desit. Quorum utrumque paucio curatus indagare nunc est animus.

a) l. 12. §. 1. ff. de acq. vel amitt. poss.

b) Ita enim sentiunt & inter ficticias actiones cum VLPIANO in fragmentis tit. 28. §. 12. referendas existimant Duumviri doctissimi A COSTA & EV. OTTO in commentariis ad §§. 3. 4. 5. & 6. *Inst. vestigia tuentes CIVIACII* ad cit. §. 3. notantis: *fictae actiones, quales sunt & que bonorum possessoribus dantur.* In una actor dicit, se usucipisse, quia praetor, dando actionem illam, bonam fidem pro veritate accipit. In altera dicit, rem traditam non esse, quia praetor traditionem resindit. Scilicet quoad illam durum videbatur, extra neum possessorum portiorem esse eo, qui ex iusta causa & bona fide rem alienam a non domino accepisset. Fingebar igitur usucipationem esse peractam a Praetore PUBLICO, qui publicianam actionem quasi rei vindicationem ex ficto praetorio vel quasi dominio introduxit tempore, ut putant, Ciceronis, qui in *Cuentiana Publicii Pratoris meminit, vid. Bertrand, de vii. Iuriscons,*

riscons. Lib. 2. c. 16. §. 2. Quod hanc, Paulianam nimis, sa-
tis compertum est, eam tempore Ciceronis nondum proditam,
sed de dolo malo actum fuisse. Ita enim ille ad Atticum Lib.
I. Ep. I. *Cecilius, Avunculus tuus, a Vario cum magna pecunia*
fraudaretur, agere caput cum eius fratre Caninio Satro de iis re-
bis, quos eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret. Una age-
bunt ceteri credores. Postea autem Paulus Praetor rescidit tra-
ditionem iure stricto quidem validam, sed ob defraudationem
creditorum iniquam, singendo nihil fuisse traditum & rem in
bonis debitoris mansisse; argue ita non in suum, sed in debitoris
dominium res alienatas vindicant credores, si rebus debitoris
distractis non fuerit ipsis satisfactum. Non desunt tamen, quod
factis notum est, qui in alia omnia vix non abeunt, adversarii
acutissimi. Prisertim *Ani. FAERO Corij. Lib. 20. C. 16.* more
solito vapulat Tribonianus, quod Paulianam inter reales accio-
nes reculerit, quam tamen, quia in factum esse dicitur in L. 10.
pr. ff. qua in fraud. cred., personalibus accessendat, ad sum-
mum non nisi in rem scriptam esse contendit. Partes eius quoque
runtur Huberus Prel. ad Inst. L. 4. tit. 6. §. 9. & Vinnius in
Corum. ad Inst. ad §. 7. de Ad. pluresque alii, discidium facien-
tes a Cujacio ad §. eund. cum Triboniano ita conspirante: *Vin-*
dicant igitur eam rem creditorum, non solum in factum, sed etiam in factum
ostigatam, sed quae rem debitoris, quam simul cum ceteris bonis debitoris possi-
dere insit sunt. Superiori vindicationes sunt dominii sui, aut ser-
vitatis vindicationes. Hec est vindicatio dominii debitoris ad hoc
instaurata, ut ex decreto Presidis creditor eam rem, quam in eius da-
mino permansisse dicit, possideat atque distrabat. Verum hisce
immorari pluribus a scopo nimis abusarum esset.

S. II.

Principio autem de facto possessore acturis monendum est,
nos fictionum iuris in universum causam hec non suscipere. Fe-
cerunt

cerunt id iam dudum & ad satietatem alii; et si non omnes intra
modum & quin in iuratos quasi earum hostes, aut ex adverso
in patronos plus aequo indulgentes, pro suo quisque ingenio,
transiverint. a) Nos ubi leges nostra stabilem illis locum re-
vel verbis dederunt, antiqua eas possessione vel quasi neque de-
pellendas; sed neque, ubi haud dederunt, novos velut hospites
cum simplicitatis dispendio introducendas esse persuasum tene-
mus. At enim si fictio definiente Ant. Dadino Altefirma b) est
iuris constitutio, qua singitur id contigisse, quod minime contigit; vel
id non evenisse, quod revera evenit; quin tale quid circa posses-
sionem quoque, paribus ceteris, constitui potuerit, quis dubita-
ret? Et tamen eodem ab autore, mirum dictu est, hanc strui vi-
deas regulam: c) Possesso, quia facti est, non iuris, non admittit
fictionem. Ergone igitur possesso non est inter illa, quae con-
tingunt vel eveniunt, & ea, quae contingunt vel eveniunt, an-
non facti sunt? An forte in patrio solo hucusque persistisse aut
in libertate diem supremum obiisse, res non aequa facti est, ac
alibi vel in captivitate detentum fuisse aut naturae debitum redi-
didisse, quibus tamen assumitis constant manifesta fictiones iuris
nostrri famosissimae, iuris postliminii & L. Corneliae? Verum qui-
dem est & leges id loquuntur, d) ad usucaptionem complendam
pro eo, qui apud hostes erat, possessionem interim continuatam
non singi, illamque captivitate interruptam postliminii fictione
non restitu; sed hoc plane non ideo, quasi quae facti sunt alias,
interque ea possessionem, nunquam singere legibus solenne sit;
Alia longe heic subest ratio. Scilicet pro usucapione vera &
naturalis, hoc est actualis & quoad exercitium haud interrupta
requiritur possessio; e) utique quia fictam surrogare in modo ac-
quiren-

quirendi per se sat odioso atque subtili haud vistum est æquitati consonans. Quamquam secundum Julianum hoc ipso etiam casu usus capio absolvatur, modo per subiectas suo iuri personas interim possidere perrexerit postliminio reversus. f) Quidquid demum sit, fatetur idem Alleserra g) contra regulam suam, utilitatis causa obtinuisse, ut fictionis natura inflechteretur & possessio fictionem reciperet, quasi magis iuris sit, quam facti: idque pluribus speciebus illustrat, tandemque nobis adstipulatur: vindicationem seu actionem in rem universalem æque ac singularem non dari adversus alium, quam possessorem vel eum, qui fictione legis pro possessore habetur, veluti qui se sibi obtulit tanquam possessor, cum non possideret, vel qui dolo desit possidente. Et quid aliud hoc loco nobis dari volumus?

a) Magnopere eas impugnaverunt Gotl. Ger. Titius D. de fictiōnum romanarum natura & inconcinnitate, Lips. 1694, iterumque in iure privato Lib. I. c. 9. & Dan. Frid. Roberti D. de fictiōnibus iuris in cerebro ictorum naris atque ex fana jurisprudentia eliminandis. Hal. 1727. Propugnaverunt contra Am. Schultingius in Juripr. Anteinst. in Not. ad Vlp. fragm. Tit. 10. n. 5. Ger. Noote probabil. iur. civil. Lib. 3. c. 1. Tols. 1. Reinhardt Progr. de usu & non usu practico doctrinae de fict. iur. Geet. 1735. Novissime Ioh. Frid. Eisenhardt in Praef. ad elegantem Aut. Dadini Alleserra de fict. iur. tractatum, nova & diu desiderata editione nobis donatum, Hal. & Helmst. 1769.

b) Alleserra de fict. iur. tr. I. c. I.

c) Id. tr. 3. c. 13.

d) I. 19. ff. ex quib. cauf. mai. I. 15. pr. ff. de usurp.

e) I. 5. & 25. ff. cod.

f) l. 12. §. 2. ff. de captiv. & possim.

g) cit. tr. 3. c. 13.

S. III.

Videamus igitur primo de eo, qui se liti obtulit tanquam possessor, cum non posideret. Quo de ita Ulpianus lib. 15. ad edict. a) Non solum autem ab eo petti hereditas potest, qui corpus hereditariorum possidet, sed & si nihil. Et evidendum, si non possidens obtulerit tamquam se petitioni, an teneatur? Et Celsus hb. 4. digestorum scribit, ex dolo eum teneri; Dolo enim facere cum, qui se offert petitioni, quam sententiam generaliter Marcellus a jad Julianum probat: Omnem, qui se offert petitioni, quasi possidentem teneri. Refert se Iulus ad duos praedecessores, Cessum & Marcellum. Cessum quod attinet, en ipsa eius verba in l. 45. ff. de hered. petit, ut ibi docet inscriptio, qua est ex lib. 4. Celsi Digestorum: b) qui se liti obtulit, cum rem non possidet, condemnatur. Nisi si evidentiis probacionibus possit ostendere, actorem ab initio litis scire, cum non possidere; quippe isto modo non est decepsus. Et qui se hereditatis petitioni obtulit, ex doli clausula teneatur, asimari scilicet oportebit, quanci eius interfuit non decipi. Marcelli vero locus neque nomine, neque numero libri citatus, immo neque ubi apud Julianum relatus sit, expeditum est. c) Conicere tamen licet, Marcellum vix alio loco hac de re tractavisse, quam Digestorum suorum libro 4; idquod ex §. 14. cit. l. 13. eod. & connectate materiae satis colligitur. Textum vero ipsum, quia ad eum, qui dolo malo possidere desit, spectat, infra §. 6. exhibui sumus. Deinde & Julianus Marcellum referens ab Ulpiano ea laudatur in l. 16. §. 2. eod. unde Julianus lib. 16. Digestorum ait, ab eo,

qui

qui petit hereditatem & litis aſſimationem consecutus eſt, he-
reditatem peti poſſe. Itaque nec Iuliani liber, quo rem tra-
ctavit, omnino latet. Porro Ulpianus lib. 70. ad edictum
d) Marcellum denuo in partes vocans: *is*, qui ſe obtulit rei
deſenſioni ſine cauſa, cum non poſſideret nec dolo feciſſet, quominus
poſſiſeret, ſi actor ignoret, non eſt abſolven‐dus, ut Marcellus ait.
Quæ ſententia vera eſt. Sed hoc poſt litem confeſtatam. Ceterum
ante iudicium acceptum non decipit actorem, qui ſe negat poſſidere,
cum vere non poſſideret: nec videtur ſe liti obtuliffe, qui diſcre-
ſit. Non pratermit autem digeſtor id ipſum conſirmare au-
toritate Pauli lib. 2. ad Plautium: e) nam ſi actor ſcit, tunc *is*
non ab alio, ſed a ſe decipitur & ideo reuſ abſolvitur. Et libro
21. ad edictum: ſin autem, cum a Tatio petere vel em, aliquis
diſcribit, ſe poſſidere & ideo liti ſe obtulit & hoc ipſum in re agen-
da teſtatione probavero; condenmandus eſt. Quin idem Paulus
lib. 11. ad edictum iam ſcripferat; f) ſi *is*, qui obtulit ſe fundi-
vindicationi, dannatus eſt; nihilominus a poſſeffore recte petiūr:
ſicut Pedius ait.

a) l. 13 § 13. ff. de hered. peti.

b) Brenemann D. de LL. Inſcript. apud Wieling in iurispr. reſtit.
§. 11. Porro in l. 13. §. 13. ff. de hered. pet. Ulpianus Celfus lib.
4. digeſtorum diligenter citat. Qui Celfi locus procul omni dubio non
alii, quam l. 45. ff. cod.

c) Hömmel palingen. libr. iur. vet. T. 1. p. 395. & 314.

d) l. 25. ff. de rei vind.

e) l. 26. & 27. pr. ff. cod.

f) l. 7. ff. cod.

Præstructis nunc ordine suo legibus, quis sit fictus heic possessor & qua ratione dammandus, facile est ad intelligendum. Est autem 1. fictus heic possessor is, qui dolo malo litigi seu petitioni se obtulit, dicens se possidere rem, cum non possideat, neque eam dolo malo unquam possidere desierit. Adiicit posterius comma signanter Ulpianus. a) quodsi enim diceret, se possidere rem, quam quidem amplius non possideret, dolo tamen malo fecisset, quominus possideret; manifestum est, ex vero illum loqui, neque actorem decipere. Si quidem & is, scite ad minimum, possidet, qui dolo desit possidere. Enimvero tunc alio prorsus in genere fictus possessor erit, non in hoc, de quo heic queritur & quod per calumniam Adfirmationem eius, quod nulla ratione verum est, determinatur. Non inutilem hanc observationem ea etiam propter putamus, quia inde decisio questionis pendet, an unus idemque reus dupli ratione fictus possessor evadere & sic duplex in eum condemnatio ferri possit? quam negative securum haec quotusquisque decidet 2. requiri, ut ignoraverit actor, cum non possidere b) 3. ut hoc modo iudicium acceperit reus, hoc est, eodem pertinaciter inhærens mendacio litem contestatus sit; ante enim, quia his nequum est, impune decedere adhuc potest. d) 4. Ceterum iudicio sive universali, sive singulari actor experientur, hactenus perinde est. Siquidem quod de uno loquuntur leges, idem propter identitatem rationis & de altero dicendum est. e) Neque 5. refert quidquam, sive totam hereditatem vel rem possidere se mentiatur, sive partem earum. Nam qui hereditatem vel partem hereditatis petit,

petit, is non ex eo meritur, quod possessor occupavit, (vel occupatio se affirmat) sed ex suo iure: & ideo si ex ase heres sit, rotam hereditatem vindicabit, licet tu unam rem possideas. f) Et meum est, quod ex re mea superest, cuius vindicandi ius habeo. g)

- a) l. 25. ff. de rei Vind.
- b) cit. ll. §. præc. add. l. 145. de R. I.
- c) cit. l. 25. de rei vind.
- e) Lauterb. in Coll. Th. pr. Lib. 5. T. 3. §. 9.
- f) l. 1. §. 1. ff. si pars hered.
- g) l. 49. §. 1. ff. de rei vind.

§. V.

Verum qua ratione condemnandus sit hic fictus possessor, altioris paulo indaginis est. Ad verba legum si respexeris; Ille ex dolo tenetur; condemnatur; estimari oportet, quanti actoris interfuit non decipi; Litis estimationem consequitur perior; non est absolvendus reus; condemnandus est; cit. LL. S. III. Sed quis rem hisce satis expeditam existimet? Hoc enimvero unusquisque facile perspicit, ad duo palmaria capita quæstionem redire, nimirum an in totius obiecti litis, quod petit actor & possidere sese mentitus est reus; an vero in id tantum, quanti interfuit actoris, sic non decipi, veluti in summis frustrate litis, interesse ob moram, præscriptionem interim a vero possesso forte absolutam etc. condemnandus sit. Et quidem solus posteriorem in partem discedere videtur Celsus in l. 45. ff. de
B bered.

hered. perit; priori magis favent Ulpianus, Marcellus, Julianus & Paulus. Quid enim aliud est ex dolo quasi possidentem teneri; litis aestimationem consequi petitorem; non absolucionem esse reum, sed condemnandum; quam in totius obiecti litis aestimatione ferri sententiam debere? Atque hoc, si improbam hominis, qui adversarium bona fide litigantem & iudicem ipsum eludere non erubescit, calumniam quis expendat, durum atque nimium videri non potest. Nisi tamen fallimur, neque Celsus omnino adversatur. Ea enim parte, qua diffundire videtur, de hereditatis petitione agit, quam ita generaliter, ut certae res vel quantum libello haud exprimantur, institui posse omnes scimus; quodsi vero ad petitum eiusmodi generale adversarius, dolo licet malo, generaliter se possidere hereditatem responderit, non nisi probationem iuris hereditarii ab auctore ante omnia exigendo; quodnam tunc futurum est certum litis obiectum, praeter expensas & id quod alia ratione interest? Ergo hoc de casu non abs re exaudiendus est Celsus. Certe res ipsa satis loquitur, ad prius caput affirmandum utique requiri, ut auctor certum litis obiectum sive libello comprehendenter, sive, quod veteribus in usu erat, interrogationibus in iure indagaverit, vel, quod nostris responderet moribus, in hereditatis saltim petitione inventarium sibi edi postulaverit; simul etiam ut reus certi quid se se possidere litis contestatione, responsione aut inventarii editione adfirmaverit. Quid autem post condemnationem facti huius possessoris quoad conveniendum verum rei, si quis sit, possessorem iuris pateat, infra §. IX. commodior dicendi locus erit.

§. VI.



§. VI.

Succedit fictus possessor alter, qui dolo malo desit possidere sive hereditatem, sive rem singularem. De hoc quoque Ulpianus Lib. 15. ad edictum a) item si quis dolo fecerit, quominus possideat, hereditatis petitione tenebatur. Sed si alius natus possessionem, quam ego dolo malo amiseram, paratus sic iudicium pati; MARCELLUS lib. 4. digestorum tractat, num forte evanescit adversus eum, qui desit possidere, litis estimatio? & magis evanescere ait, nisi pesenit interest. Certe, inquit, si rem paratus sit restituere, indubitatum erit evanescere. Sed si is, qui dolo desit, ante conveniatur; eum, qui possaderet, non liberabit. Et porro; b) quod ait senatus: Eos, qui bona invasissent, quae scirent ab se non pertinere, etiam si ante litem contestatam fecerint, quominus possiderent, perinde condemnandos, quasi possiderent, ita intelligendum est, ut & dolus prateritus in petitionem hereditatis deducereur, sed & culpa. Et ideo ab eo, qui ab alio non exigit, vel a semet ipso, si tempeste esset liberatus, peti hereditatem posse: hoc utique, si exigere potuisse. — PERINDE. inquit, possiderent. Merito: nam is, qui dolo fecit, quominus possideret, ut possessor condemnatur. Accipies, sive dolo desiterie possidere, sive dolo possessionem noluerit admittere. Sive autem ab alio res possideatur, sive in totum non extet; locum habebit haec clausula. Unde si sit alius possessor, ab atroque hereditas peti possit. Sed & si per multos ambulaverit possessio; omnes tenebuntur. Hac ille de hereditatis petitione. Quod ad rei vindicationem, Paulus Lib. 21. ad edictum: c) sed & is, qui ante litem contestatam dolo desit

sit rem possidere, tenetur in rem actione: idque ex senatus consulto colligi potest, quo cautum est, ut diximus, ut dolus præteritus in hereditatis petitionem veniat. Cum enim in hereditatis petitione, quæ & ipsa in rem est, dolus præteritus fertur; non est absurdum per consequentiam & in speciali in rem actione dolum præteritum deduci. d) Denique & de actione hypothecaria Marcianus Lib. singulari ad formulam hypothecariam ait: e) in vindicatione Pignoris quaritur, an rem, de qua actum est, possideat is, cum quo actum est? nam si non possideat, nec dolo fecerit, quominus possideat, absolvitur debet. — Sin vero dolo quidem desit possidere, summa antem ope nisus non possit rem ipsam restituere; tanti condemnabitur, quanti actor in litem iuraverit, sicut in ceteris in rem actionibus. Nam si tanti condemnatus esset, quantum deberetur; quid proderat in rem actio, cum & in personam agendo idem con sequeretur?

a) l. 13. §. 14. ff. de hered. petit.

b) l. 25. §. 2. & 8. cod. Extat senatus consultum hoc, in quod commentatur Ulpianus, in l. 20. §. 6. ff. cod. ad rescriptum D. Hadriani A. V. C. 882. Imperii eius 13. conditum. Ansam reddit hereditas rustici cuiusdam, cuius partes caducæ fisco debitæ, ab his, qui se heredes falso credebant, distraictæ fuerunt. Non solum autem rescripto hoc optimus princeps fisco suo prospexit, sed & altero capite presentem in rem bona occasione legitimis heredibus cavit. Non creabunt nauicam, speramus, succincta verba doctissimi viri, Renati Boiterau in Hadriano legislatore ad annum imperii eius XIII. §. 2. Item rapacitatem eorum, qui cum scirent ad se non pertinere, invasissent, ita frānandam esse decrevit, ut etiamsi fecissent ante litem contestatam, quominus possiderent, illi nibilominus ad rei pretiue & fructuum restitutionem perinde

inde condemnarentur, quasi adhuc possidèrent. Adeo ut post acceptum iudicium id omne actori prestaretur, quod, si eo tempore, quo petuit, res iusta esset hereditas, habiturus esset. Quo simul constat, insigniter lapsum esse Ulr. Huberum, qui in prel. Pandectar. lib. 5. T. 3. §. 6. senatus consilium hoc ad orationem D. Traiani factum referit.

- c) l. 27. §. 3. de rei vind.
- d) add. l. 131. 150. & 157. de R. I.
- e) l. 16. §. 3. ff. de pignor.

S. VII.

Iam ex his determinandum in primis est iterum, quis sit hic factus possessio, & qualiter adversus eum statuendum. Scilicet factus possessio heic ille est 1. qui haereditatem vel rem singularem desit possidere. 2. Sive absumento ipsem et substantiam, sive in alium transferendo qualicunque titulo. 3. Etiam ante item contestatam & controversiam ei motam: multo magis post eam. a) 4. Dolo malo. Eximendus igitur plane est, qui bona fide possidere desit, nec inde locupletior factus est. quia neque vere, neque nere possidet, nec aliqua alia ratione tenetur, ideoque conveniri nequit. In tantum tamen adhuc possidere videtur, in quantum penes illum pretium in locum rei succedit. b) Hinc si bona fide possessor donaverit, nec remunerationem receperit, item si heredem se putans fideicommissario restituerit vel alio modo dilapidaverit, existimans se re sua abuti, quia locupletior non est factus, non tenetur. c) Inde simul liquet, id quod ab Ulpiano cir. l. 25. §. 2. adiicitur: non solum dolum prateritum in hanc actionem deduci, sed & culpam, ad

B 3

bonae

bonæ fidei possessorem minime spectare. d) Vtique autem malæ fidei possessorem sive ab initio talem, sive demum per controversiam ci motam effectum de qualicunque culpa nunc tene-
ri. Quod varie repræsentatur sit LL. veluti si ab alio, immo si a se ipso non exegerit, quod tempore periturum erat: si pos-
sessionem non admiserit, modo exigere vel admittere potuerit.
Quippe hæc generali doctrina de malæ fidei possessoribus ad-
modum consentanea sunt. 5. Limitatio duplex est. Primo si
is, qui natus possessionem (nimisrum ab eo, qui dolo malo
possidere desiit, sive mediate sive immediate) paratus sit, iudi-
cium pati vel rem restituere, matura nimisrum interventione. e)
nisi tamen & tunc petentis interstit, forte quia non solvendo ve-
rus possessor, aut potentior fuerit. f) Secundo si possessor ve-
rus corpus aut litis astimationem, antequam factus possessor
convenitus erit, praesliterit. Quia tunc nihil amplius petitoris
interstit, dolo fecisse alium, quominus possideret. g)

a) Vberima hic est commentatio Ulpiani in I. 25. §. 7. de hered.
petit. Hoc ideo adiudicatum, quoniam post item confessatam omnes in-
cipiunt mala fidei possessores esse: quin immo post controversiam motam.
Quangam enim litis confessata mentio fiat in senatus consilio; ta-
men, & post moram controversiam omnes possessores pares sunt & qui-
si prædones tencinur. Et hoc iure bodie utimur. Capit enim scir-
pum ad se non pertinentem possidere se is, qui interpellatur. Qui
vero predo est & ante item confessatam dolii nomine tencitur. Hic
est enim dolus prætritus.

b) En verba SCi in I. 20. §. 6. ff. de hered. petit. ibi: eos autem, qui
infias causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimat, us-
que ea dantaxat, quo locupletiores ex eis facti essent. Evidem
id ad possessorem hereditatis, coquod heic pretium in locum rei
succedat & res hereditarie functionem recipiant, restringere vi-
de-

dentur *Lauterbachius* loco supra "cit. & ex eo' Müllerus' ad *Struv.*
E. 10. S. 45. lit. *B*; Atqui vero & pro possessore rei singularis
non solum vera pugnat rationis idenditas, sed & ad hunc scđum
hoc merito & per consequentiam, quia nimurum & rei vindicatio,
sicut hereditatis peritio in rem est, extendendum ipse iudicat
Paulus in *I. 27. §. 3. ff. de rei vind.* Immo rem conficit aper-
te Iulianus in *I. 52. ff. eod.* ubi & hæredes eiusmodi possessoris
rei singularis, qui fundum dolo malo possidere desit, actione
in factum teneri ait, quanti locupletiores ea res facti fuerunt.

- c) *I. 25. §. 11. ff. de hered.* petit.
- d) *probar Vlpianus in I. 45. ff. de rei vind.* add. Puffendorf comm.
 de culpa part. 6. c. 2. S. 21. p. 339.
- e) *I. 13. §. 14. ff. de hered.* petit.
- f) *Hilliig. ad Donell. Lib. 19. c. 12. lit. L*
- g) *I. 95. §. 9. ff. de solut.*

§. VIII.

Ceterum quin huius farinæ fictus possessor ad præstati-
onem totius obiecti litis, quod scilicet dolo & culpa desit posside-
re, una cum expensis & interesse condemnandus sit, eo minus
ambigere licet, quia *perinde* illum condemnare oportet, *quasi pos-
sideret*. Itaque sententia ferenda est ad restituendas res, tametu
non sine amplius in rerum natura vel recuperare eas nequeat pos-
sessor condemnatus. a) Res tamen ipsa tunc loquitur, quatenus
impossibilitas subintrat, eam resolvi in præstationem eius, quod
interest ad estimationem petitoris iureinmando in litem facien-
dam, quia de re dolo malo non restituta agitur. b) Quod præ-
iudicio firmat Vir. Huber *Pral. Pand. Lib. 5. T. 3. §. 6.* Neque
deo id aliter se habet, si possessor hypothecæ dolo desierit eam
possidere, nisi de integritate *cit. I. 16. §. 3. ff. de pignor.* malis du-
bitare, c)

4)

- a) l. 150. de R. I.
 b) l. 2. & 5. de in lit. iur. Guili. Maran. in *Paratit.* *Dig. lib. 12.*
Tit. 3. quum enim dolus pro possessione habeatur, is qui dolo defit pos-
sideret, pro contumace etiam habebitur, ut scilicet adversus eum iure-
tur in item.
- c) Dubitandi autem rationes, non leves certe, profert Ant. Faber
Coniect. lib. 16. c. 15. & de error. pragm. p. 1. Decad. 18. E. 1 & 2.
 Equidem non negat ille, iuxta Vlpianum in l. 21. §. 3. ff. *de pignor.*
 si res pignerata creditori non traditur, item tunc adversus pos-
 sessorem estimandam esse, quamvis alter adversus ipsum debitorem,
 aliter adversus tertium possessorem. Et adversus il-
 lum quidem non pluris, quam quanti debet, quia credito-
 ris non pluris interest; adversus ceteros possessores vero
 etiam pluris, quia amplius creditoris interesse potest ob pigne-
 ratiam actionem, qua debitori tenerur. Sed nullam ibi men-
 tionem litis per iusurandum in item a creditore estimande.
 Neque etiam, Fabro iudice, eam fieri in *cit. l. 16. §. 3. eod.* in
 fine oportebat, quoniam contumacia rei, tametsi adnexum ha-
 beat dolum, nunquam tamen sola ad hocce iuramentum sufficit,
 sed ut res actoris propria vel ei saltē debita haud restitura vel
 tradita sit, simili requiritur; quorum neutrum est in actione hy-
 pothecaria. Immo neque proper necessitatem in casu rei non
 amplius extantis locum fore huic iuramento. Quodsi enim ad-
 versus debitorem ipsum experietur hypothecaria actione credi-
 tor, non ultra eius interesse posse, quam ratione fortis, usura-
 rum & expensarum: sic vero certitudinem nunquam deficere
 posse. Sin adversus tertium possessorem; teneri quidem credi-
 torem debitori pigneratia: sed non nisi eo in casu, quo ex pi-
 gnore plus, quam sibi debebatur, consecutus sit. Nihil enim
 imputari creditori posse, quod dolo malo possessoris res pignori
 vel hypothecæ obnoxia non extet. Propter interesse autem alieni
 sum, quippe ipsius debitoris, creditem ad iuramentum in li-
 tem, quod secundum propriam, non alterius affectionem iu-
- ran-

L.

randum est, admitti non debere: potius ipsum veluti pignoris dominum & p[ro]p[ri]etatem ad exhibendum contra illum, qui dolo pos- fidere desit, non destitutum, ad iusurandum illud admittendum esse. Tanti igitur momenti haec videntur *Fabio*, ut non solum *Barolom* post *Accursum* ceterosque interpres ad l. 21. §. 3. ff. de pignor. in iure lapsos, sed & huius erroris primum autorem insimulet *Tribonianum* & huic, non vero *Marcianno* adscribenda esse puret postrema verba l. 16. §. 3 eod. praesertim cum adiecta ibi in fine ratio insignem pra se ferat incitiam, quasi vero non pluribus modis praestare posset in rem agere, quam in perso- nana. Ita hic *Tribonianus Malleus*. Evidem cautior, ut pas- sim solerit, in inculpando iuris nostri Architecto & hoc est loco *Nochtius Comm. in Pand. Lib. 20. T. I. p. m. 441.* manifestam in his tenebris fore lucem existimans, si *Marciannum* in cit. l. 16. §. 3. de stricto iure, ab *Vlpiano* aurem tradita in cit. l. 21. §. 3. eod. de humanitate magis intelligas, quam demum ab ipso *Marcianno* in d. l. 16. §. 6. verbis: *Si pluris condemnatis sit debitor, non restituendo pignus, quam computatio foris & iusurarum faciebat, an si tantum solverit, quantum debebat, exoneretur hypotheca?* Quod ego, quantum quidem ad subtilitatem legis & autoritatem sententiae non probo: Semel enim causa transire videatur ad condemnationem & inde pacem aperi. Sed humanius est, non amplius cum, quam quod revera debet, dando hypothecam, liberare, probari scribit. Sed praterquam, quod posterior hic locus de ipso debitore dumtaxat clare loquitur; eas saltem, quae iusurandum in item spissiores premunt hoc in easu nebulae, tam molli manu no[n] liquet esse satis dissipatas.

§. IX.

Quid autem nunc iuri's, facto hoc possessore condemnato, adversus verum possessorem peccatori super sit, videamus. Et su- pra quidem §§. 3. & 6. laudati despiciuntur sunt LL. contextus. a) Insignis vero accedit locus *Papinianni lib. 28. quæstionum*: b) *Dolo fecisti, quo minus possideres, quod ex hereditate ad alium pertinente*

C

adpre-

adprehenderias? Si possessor corpus aut litis aestimationem praestitit,
 ea res tibi proderit: quia nihil petitoris interest. Ceterum si tu an-
 se conventus ex praterito dolo praestiteris; nihil ea res possessori pro-
 derit. Tam clara haec sunt, ut fuso interprete non egeant. Res
 igitur omnis eo redit. Aut verus rei possessor ipse primo
 loco conventus est & hereditatem vel rem singularem sive ipsam,
 sive earum aestimationem praestitit aut praestare paratus fuit; &
 tunc factus possessor, qualis per rerum naturam hic aliis esse ne-
 quit, quam ille, qui dolo possidere desit, ipso iure liberatur.
 Aut cum factio possessore, sive sit is, qui dolo desit possidere, si-
 ve ille, qui liti se obtulit, e) prius actum est; & ius agendi con-
 tra verum possessorem petitori restat integrum. Ratio diversi-
 tatis iusto haud est abstrusior. Possessio enim parit actionem in
 rem. d) Itaque licet consecutus sit actor rei aestimationem ab
 eo, qui dolo desit possidere vel liti se obtulit, tamen extincta
 non est actio, quam ei parit possessio alterius, qui vere possidet.
 Atqui illam litis aestimationem consecutus est propter dolum ad-
 versarii, non ex vera eius possessione. Quare nulla causa est,
 cur solutio huius aestimationis extinguat actionem. Contra vero
 priori in casu, quia rem vel litis aestimationem a possessore vero
 auffert propter rem possessam & ex causa verae possessionis, sta-
 tim extinguitur actio, quae ex possessione nata erat. Nec am-
 plius haberi potest ratio doli eius, qui desit possidere, cum
 actor dolo illo deceptus non sit, nec damnum sit passus re sua re-
 recuperata. e) Non igitur stringit speciosa haec obiectio: si pra-
 statio eius, qui dolo caret, liberat illum, qui in dolo est; multo
 futurum est æquius, ut huius solutio innocentem liberet posses-
 sorem. Enimvero ad rationes iustitiae distributivæ universim
 non spectat haec materia & sufficit, possessorem verum nulla ad-
 fici iniuria, neque ad hunc pertinere, ut lucrum accidentale,
 quod

quod a factio posseffore aliam ob causam tulit petitor, hunc impunet, cum actio non ex possessoris persona, sed petitoris iure aestimetur. f) Insignem tamen limitationem quoad conveniendum postea verum possessorum cum Hilligero ad Donellum g) nemo non eo in casu agnoscet, quo verus possessor hereditatem vel rem emtionis vel alio quovis titulo onerofo ita ab eo, qui dolo desuit possidere & aestimationem praestitit, sibi comparavit, ut facta ablatione rei hic ad evictionem praestandam teneatur. Sane enim emtor omnibus defensionibus venditoris utitur. h) Inter quas & haec est, ne bis ab eodem idem petatur; quod tamen tunc futurum esset ob regressum emtoris contra suum auctorem.

- a) l. 13. §. 14. l. 16. §. 2. ff. de hered. pet. l. 7. ff. de rei vind.
- b) l. 95. §. 9. ff. de solut.
- c) l. 7. ff. de rei vind.
- d) l. un. C. de alienat. iud. mut. cauf.
- e) Ios. Averan. Interpr. iur. civ. lib. I. c. 15. n. 17.
- f) l. I §. 1. ff. si pars hered. pet.
- g) lib. 19. c. 12. lit. M.
- h) l. 28. C. de Evi&t.

§. X.

Occurrentium tamen paucis astrictis eit argumentis quibusdam contrariis, ipsis ex LL. desumptis.

1. Ita fore, ut suum bis exigat petitor, quod bona fides non patitur. l. 57. de R. I. respondetur, minime rem eandem bis heic peti. Sed qui prius aestimationem ab altero, cui prenam dolii, adeprus est, nunc rem ipsam a possesso petit. Et enim ne prenales quidem actiones de eadem re concurrentes alia aliam consumunt: & si ex diversis causis tributis deentur, ne electione quidem unius altera tollitur. a)
- a) l. 130. de R. I. & ibi Godofred.
2. Omnes debitores, qui speciem ex causa lucrative debent, liberari, cum ea species ex causa lucrative ad creditorem pervenerit. l. 17. ff. de O, & A. Oppido enim fallit, verum possessorum ex causa lucrative heic


heic debere & eam speciem ex causa lucrativa ad petitorem iam pervenisse.

3. Obitare videtur l. 24. & 26. prff. de noxal aet. ubi editio pratoris iniungitur electio ei, cui servus alienus furtum fecit vel damnum dedit, ut vel agat pratoria actione in veterem dominum, qui seruum illum, ne secundum geretur, alienavit, in solidum; vel in novum dominum noxali iudicio: altero vero electo alter liberatur beneficio exceptio-
nis dolii mali. Responde *Cuiacius*, electionem a pratore heic intro-
ductam, ne eludatur auctor, si vel daretur tantum actio in veterem,
vel tantum in novum dominum & hic vel ille solvendo non esset. At
cum de rei proprietate agitur, eandem electionem non dari auctori; er-
go per l. 95. §. ff. de solut. & l. 13. §. 14. de hered. pessi. altero electo
alterum non liberari. Siquidem cum electio non sit iniuncta auctori,
integrum ei esse, experiri cum utroque & ab eo quidem, qui dolo
desit possidere, quanti ea res est, quasi ptenam exigere, ab altero rem. b)
- b) lib. 22. obs c 29. & hactenus quidem bene, sed quod pergit: & vel prius quidem
veterem possessorem ex dolo præterito, deinde novum ex presenti possessione:
vel retro prius novum, deinde veterem, in eo, quin abundet vir doctissimus,
dubitare vix patinuntur, quas ipse protinet, leges.

4. Denique nec adveratur l. 10. ff. de reb. eor. qui sub tut. quia, ut habet
Hilliger ad Donell. e) species ibi diversa est, disparem rationem habens.
Ibi enim, qui litis estimationem præstando possessorem liberat, tutor
est, cum quo dum egit pupillus ad estimationem, factum eius, alienationem
scilicet prædii, probavit. Deinde notanter ea lex ait: *Vindica-
tio prædii ex aequitate inhibetur*. Aequitas enim in questione di-
strahendorum prædiorum pupillarum maxime spectatur: neque tam
aspere tractandum est ius prohibita alienationis prædiorum pupil-
larum, ut & soluta estimacione a tute adversus emtorem pupillus
summo iure experietur, opimo iterum interprete Cuiacio. d) Quin &
ipsa, quam §. præc. infra adstruximus, hic subintrat & nodum, si quis
forer, dissolvit limitatio.


e) cit. loco lit. L.

f) in comm. ad tit. ff. quod met. caus. T. II. Oper. p. 147.



X 2310747





1774,5
DISSERTATIO IURIDICA IN AVGVRALIS

DE
FICTO POSSESSORE

RAM

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE
IN PERANTIQA ELECTORALI VNUERSITATE ERFORDIENSIS

P R A E S I D E

Dn. ADAMO IGNAT. TVRIN, I&to,
FACULTATIS IURIDICAE ADSESSORE, IURIS NATVRALIS, GENTIVM
ET PVBLCI, NEC NON HISTORIARVM ET PHILOSOPHIAE PRACTICAE
PROFESSORE PUBL. ORD. BIBLIOTHECAE BOINEBURGICAE
DIRECTORE, VNUERSITATIS H. T. RECTORE,

H. L. Q. S.

DIE XVII. MAI. MDCCCLXXIV.

P R O G R A D V D O C T O R I S

PVBLCO. ERVDITORVM EXAMINI SUBIECIT

AVCTOR
IOHANNES ADAMVS BIRNICH
EVDESSA-LVSATVS.

ERFORDIAE
LITERIS HENRICI RUDOLPHI NONNI. ACAD. F.F.P.

